



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Assertionvm Theologicarvm Sfortiae Pallavicini Sacrae Theologiae Professoris in Collegio Romano Societatis Iesv. Libri Qvinque

Pallavicino, Sforza

Romæ, 1649

Cap. 8. De com[m]utatione rerum temporalium cu[m] spiritualibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39069

quibus evidens est bonum esse
quod ponantur; ideò de iure
naturæ nulla datur obligatio
restituendi in bonis diuersi ge-
neris.

C A P V T VIII.

*De commutatione rerum tempo-
ralium cum spiritualibus.*

76 **A**ddimus tamen,
quod etiam si da-
retur obligatio restituendi in
bonis diuersi generis, adhuc
nō esset iniurianti liberum pro
bonis temporalibus restituere
spiritualia. Vergeret enim in
contemptum bonorum spiri-
tualium si quatenus spiritualia
sunt venirent in cōpensationē,
& in pretium rei temporalis.
Ideò

Ideò donari possunt, permutari cum obligatione inferiori generis non possunt. Consensiente tamen Creditore possunt labor orandi, vel ieiunandi commutari in deletionem debiti pecuniarij, sicut potest sacerdos pretium, vel alimentum accipere pro labore audiendi confessiones, vel celebrandi missam.

77 Porro licet in similibus casibus dans pretium alteri, oret, vel ieiunet, deducat in pactum non solum laborem corporalem, sed etiam applicationem orationis, & ieiunij, quod est quid spirituale, adhuc emittit solum laborem non verò applicationem, adeoque nullam committit simoniam. Alieni quippè labor non est sicut fructuum

menrum

mentum e. g. quod emi potest gratia sui; nam labor alienus, eatenus solum potest prudenter emi, quatenus apprehenditur fore utilis in ordine ad aliquod aliud bonum. Ideò nemo emit à villico laborem fossionis in arena, sed in vinea, quia solam fossionem in vinea videt sibi futuram utilem, non verò fossionem in arena. Sicut ergo in casu fossionis, non emo fructus vineæ, sed fossionem quam video fore utilem ad fructus; sic in casu orationis, & ieiunij non emo fructum spiritualem orationis, & ieiunij, sed laborem quem video fore utilem ad talem fructum spiritualem; cuius rei signum est, quia si emerem fructum spiritualem, pretium deberet correspondere

F re

re utilitati applicationis, & fructus, non autem soli labori; sicut si non emeretur fossio, sed fructus vineæ, deberet pretium correspondere non fossioni, sed fructui.

78 In applicatione tamen missæ videtur esse peculiaris difficultas. Cum enim per se labor conficiendi sacrificij ex natura sua sit minimus, ac proinde nulla dignus mercede, accipiet per accidens, propter adiutritas ab Ecclesia orationes, ac ceremonias sit considerabilis, vix apparet quomodo possit pro eo minimo labore, de iure diuino stipendium accipi. Responderi potest, iustè accipi stipendium pro labore minimo, non per se considerato, sed pro vt connexo statui impediendi

dienti alios modos lucrandi.
Sed difficilius adhuc vrgetur
argumentum, ex eo quia actio
Sacerdotis non est per se æsti-
mabilis nisi quatenus depen-
det à caractere: ergò dum
venditur actio vt utilis ementi,
venditur fructus caracteris ;
cū tamen Deus qui gratis cha-
racterem impressit, voluerit vt
fructus ipsius gratis impertire-
tur :

79 Veruntamen respon-
demus, Christum instituendo
Sacramentum Ordinis, voluif-
se vt Sacerdos possit viuere ex
tali ministerio ; Ad sustentatio-
nem ergo Sacerdotis debent
proportionaliter cōcurrere, ij
qui ab illa plus minùsue acci-
piunt cōmodi, hoc est illi pro
quibus applicatur sacrificium :

F 2 fru.

fructus tamen characteris non
venditur, quia pro opera Sa-
cerdotis accipitur pretiū tantū
secundū mensuram incom-
modi, quod affert Sacerdoti, nō
secundū mensuram cōmo-
di, quod affert ei, cui applica-
tur. Sicut ergō, si Titius con-
stitueretur à Sempronio dispē-
sator liquoris pretiosissimi, da-
ta illi facultate donandi singu-
laseius libras quibus vellet ni-
hil pro se paciscendo nisi pre-
tiū laboris, non venderet li-
quorem, vt pote cuius non se-
ret dominus, nec translationē
dominij, cum non posset acci-
pere aliquid correspōdens eius
æstimabilitati, sed solū suam
operam, quæ per se quidem
esset nihili, sed haberet suam
æstimabilitatem à facultate

con-

concessa à domino liquoris: sic contingit in casu nostro: Eadē verò doctrina potest applicari alijs operibus pijs, quorum labor habet tantum utilitatem, à gratia, cuius fructum Deus prohibet vendi, sed concedit vendi solam operam ut operanti incommodam. Et quamvis applicatio deducatur in pactum, ut potè sine qua labor vendentis ementi esset inutilis, fructus tamen applicationis non venditur; ut pariter contingit in exemplo allato illius custodis, qui habet ius donandi liquorem accepto pretio custodiae: is enim deducit in pactum donationem, nec tamen vendit fructum donationis.

80 Tūc verò diceretur vendi fructus applicationis in utro-

F 3 que

que casu, quando ille qui soluit
pretium non deberet integras
gratias boni accepti ipsi prin-
cipali domino tanquam dona-
tori, hoc est domino liquoris in
vno casu & Christo in altero
casu. Emptio enim partialis, vel
totalis aut minuit, aut tollit ra-
tionem donationis, & liberali-
tis in dante, & debitum gra-
tiarum in accipiente.

81 Stat igitur illa regula,
quod non possit permutari ali-
quod spirituale cū aliquo tem-
porali, licet possit res tempo-
ralis permutari cum labore re-
quisito ad obtinendum illud
spirituale. Debitor tamen, con-
sentiente creditore, commuta-
re poterit cum deletione debi-
ti laborem orandi vel ieiunan-
di illo disseniente at nō pote-
rit

rit. Cum enim iustitia virtus sit naturalis, & obseruanda inter omnes gentes etiam diuersæ religionis, non debuerunt imponi pretia rebus dependenter ab vlla persuasione supernaturali, & obscura.

82 Hinc colligitur primò, quare Principes Christiani teneantur seruare pacta, & indulta, dummodo licita, in pacificationibus concessa etiam hæreticis, & infidelibus. Nullus enim esset modus componendi huiusmodi bella, si scirent hostes, nos non obligari nostris promissionibus, quod vergeret in magnā humani generis calamitatem. Colligitur secundo, quare in pacificationibus Principum conditiones receptæ etiam per metum iniuste illatū

F

4

ser.

seruari debeant, cum oppositū
accidat in priuatorum contra-
ctibus: Disparitas est quia pri-
uati iudicem habent, qui ferre
sententiam possit de iustitia,
vel iniustitia metus; Principes
verò talem iudicem nō habēt,
quare si obtentu metus iniusti
posset rescindi contractus, om-
nis contractus pacificationis
esset inanis; Principes tamen
qui ex metu iniuste illato
perceperunt utilita-
tem, tenentur in
conscien-
tia ad restitu-
tionem.

